



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 21. Imperator Austriaco reconciliatus, ea lege, ut Pontificem reduceret.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. captus est. Commemorat Reichental-  
 A.C. 1415. lius, Hieronymum, cum ad quoddam  
 Hercyniæ, seu sylvæ nigræ oppidum per-  
 veniret, atque a Parocho loci, qui eodem  
 die suos Collegas convivio exceperat, in-  
 vitaretur, atrocibus maledictis Synodum  
 proscidisse, eamque Sathanæ Synagogam  
 appellando, jactitasse, cunctos illius Do-  
 ctiores, & Prælatos rubore suffusos, a se  
 fuisse devictos; a Clericis vero ob hæc  
 convitia ad iram concitatis illum petu-  
 lantiæ suæ coram Magistratu fuisse accu-  
 satum, a quo etiam postera die compre-  
 hensum Constantiam deportatum fuisse,  
 ibique carceri tradi jussum. Discipuli  
 Hieronymi Pragensis ejusdem facti duas  
 alias nobis reliquerunt relationes eodem  
 tempore scriptas, in quibus, præcis aliis  
 circumstantiis, narrant, quod ab officiali-  
 bus Ducis Solisbacensis Hirsaviæ deten-  
 tus, inde Solisbacum deductus, ibidem  
 usque ad ulteriora Concilii mandata, cu-  
 stodiæ datus fuerit. Interea vero Solis-  
 bacensis Ducis Filius Synodum de Hie-  
 ronimi detentione certiozem reddiderit,  
 atque acceptis Concilii jussis eundem ca-  
 tenis vinctum Constantiam miserit.

## §. XXI.

*Imperator Austriaco reconciliatus, ea  
 lege, ut Pontificem reduceret.*

Bzov. an.  
 1415. n. 26.

Ludovicus de Bavaria Ingolstadiensis  
 lineæ,

lineæ, unus ex Legatis Galliarum Regis, ut Austriæ Ducem Imperatori reconciliaret, strenue suam navabat operam. Unde Sigismundus pacatiorem quidem animum induit, in gratiam tamen recipere noluit Fridericum, nisi Joannem Papam sibi traderet. Annuit Ludovicus Bavarus, petitque ab Imperatore pro Austriaco impunitatis literas, pollicitus, se Ducem ad Synodum reducturum, necnon eidem persuasurum, ut ipse quoque Papam dimitteret. Ergo Dux Baviariæ, obtentis fidei publicæ literis, reliqua perficere in se suscepit. Interea vero Joannes Nienburgi haud majori quam alibi, tranquillitate fruebatur; primo enim quo advenerat, vespere nunciatum est illi, Basileenses urbem proxima nocte oppugnatos, eaque solo æquata, denique ipsum abducturos captivum; quam ob rem arcis Præfectus Joanni fugam suasit. Papa terrore perculsus, quamvis intrepidum simularet animum, petiit ab eo, ut sibi saltem Rhenum trajicere liceret, sed repulsam passus, Brisacum redire coactus est, quo versus noctis medium pervenit. Illuc quoque Austriacus ad Joannem contendit. Interea vero Synodales Deputati se a Pontifice delusos, non parum indignati, Constantiam reversi sunt, & Friburgum delati, Baviariæ Ducem, qui exiguo post illos tempore advenerat, salutant,

Sæcul. XV.

A.C. 1415.

*Martenn.**Thef. nov.**Anecd. tom. 2**p. 1629. &c.*

Sæcul. XV.  
A. C. 1415.

tant, cum eo conferentes de fuga Pontificis, necnon de illius artibus, atque obstaculis, quæ ejus perfidia unioni opponerentur. Eadem die Bavarus sole ad vesperam inclinato, assumptis secum duobus Deputatis, scilicet Joanne Dacherio, & Joanne Despartio ipse Brisacum pergit, cum Austriaco collocuturus; nec id prospero successu caruit; quippe Deputatos inter, & ambos hosce Principes statutum fuit, cohibendum esse Pontificem ab ulteriori fuga, atque ad Imperatoris alloquium deducendum. Austriacus primo alterum hoc punctum reprobare videbatur, tandem vero & ipse acquievit, omnesque quatuor postera die Friburgum reversi sunt. Cogitur ergo Papa iterata experiri colloquia, minus sibi accepta, cum autem in promissis admodum liberalis esset, non dubitavit Deputatis polliceri, se simulac discessissent, cessionis suæ mandatum meliori quo posset, modo conceptam, ut Synodi votis plene satisfaceret, transmissurum.

## §. XXII.

*Reditus Synodaliū Deputatorum ad  
Papam.*

*Vander  
Hardt to. 4.  
p. 136.*

Igitur Pontifex ejusmodi cessionis formulam Procuratori suo per Comitem Bertholdum Ursinum concedidit, ea tamen